



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Pontificis de eo lætitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Gratulationes
de Augustano
profectu.*

*Pontificis de
eo laetitia.*

rum rituum veriq; cultus affectatores, quod nulla in Imperio Ciuitas, quæ ad Lutherum semel decurrasset, pari gradu se referret ad Christum. Quod sane admiratione non carebat, cum essent vel duodecim Augustæ, qui cathedram pestilentia indiderent, ferme etiam decuplo maior, ut supra quodque prodidimus, aduersariorum numerus, eorumque opes, & vires maximæ: contentio, fraus, violentia summa, ut clam, palam hostili animo, haeretica peruicacia insectarentur, qui ex propheta ipsorum synagoga ad sanctam Christi Ecclesiam transitum vel fecerant, vel parabant. Denique consensus omnium erat sententia permagni referre, ut primaria illa Respublica, in quam totius Germaniæ & oculi, & animi ferme intenti essent, talem haberet Ecclesiasten, atque Doctorem, cuius autoritas, præterquam quod longe, lateque clareret, simul aduersariorum in ea vrbe, circaque obscuraret doctrinam, prohiberetque conatus; simul recte sentientes intra religionis septa contineret. Itaque & qui præsentibus aderant Catholici rei amatores, officiosissimis verbis, & absentes quoque per litteras tam optatum Canisio bonorum laborum eventum gratulabantur. Ipsemet Pontifex Pius

Quartus

Quartus cum ab Augustano Cardinali, qui maxime omnium triumphabat, Romæq; versabatur hoc tempore, eam cognouisset, vehementer exhilaratus vltro dixit. Verè digni sunt favore hi Patres: atq; equidem quicquid ex me priuilegij, beneficiique spiritualis Pater Canisius, aut Societas ipsa postularit, volens concedam. Tum paterno studio gratulandum Canisio, addendosque animos putauit propriis literis: quarum exemplum hoc est.

Dilecto filio Petro Canisio, Ordinis Societatis Iesu Christi,
Pius PP. Quartus.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras, dilecto filio nostro *Orthone Cardinali Augustano referente*, peruenit, quo studio, qua diligentia, qua caritate desistic operam, ut quàm plurimos eorum, qui Hereticorū fraudibus decepti à recta religione aberrarunt, in salutis viam reducas: quantum etiam superna cooperante gratia proficias. Magna nobis consolatione
a
ni fuit

*Literæ, quibus
Canisio gratulatur.*